

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Presumptio a
cum fonte primo

Aliter aliquid sapere quam res se habet humana temptatio est. Nimis autem amando sententiam suam uel inuidendo melioribus usque ad praecedende communionis et condendi scismatis uel heresis sacrilegium peruenire dyabolica presumptio est. In nullo autem aliter sapere quam res se habet angelica perfectio est. Vita itaque homines sumus, sed spe angeli sumus quibus aequales in resurrectione futuri erimus. Quamdiu ergo non habemus perfectionem angeli, non habeamus presumptionem dyaboli.

Augustinus de baptismo contra Donatistas libro II.

homines enim sumus, unde aliquid aliter sapere quam se res habet humana temptatio est. nimis autem amando sententiam suam uel inuidendo melioribus usque ad praecedendae communionis et condendi schismatis uel haeresis sacrilegium peruenire dyabolica praesumptio est. in nullo autem aliter sapere quam se res habet angelica perfectio est. quia itaque homines sumus, sed spe angeli dei sumus, quibus aequales in resurrectione futuri sumus, quamdiu non habemus perfectionem angeli, non habeamus praesumptionem dyaboli.

Augustinus Hipponensis, *De baptismo libri VII.*, 2, 5, 6 (CSEL 51, M. Petschenig ed., pp.180-1, ll.23-27, 1-4).